5

FRIDERICI MÜNTERI,

S. THEOL. D. ET PROF. P. O. SIAELLANDIAE ET ORDINUM REGIORUM EQUESTRIUM EPISCOPI, ORDINIS DANEBROGICI EQUITIS,

AD


REVERENDISSIMUM
ECCLESIAE SVIO-GOTHICAE
ARCHIEPISCOPUM,
JACOBUM AXELIUM
LINDBLOM,

S. THEOL. D. UNIVERSITATIS UPSALIENSIS PROCANCELLARIUM ET ORDINIS DE STELLA POLARI COMMENDATOREM,

EPISTOLA
DE
DUOBUS MONUMENTIS VETERIS ECCLESIAE.

HAFNIAE MDCCCX.
EXCUDEBAT JOHANNES FRIDERICUS SCHULTZ,
AULAE REGIAE ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

Clar. Franc. Mar. Avellino I. C. Neapolitano auctor.



┼

Pacato tandem, quod omnibus bonis erat in votis, Septentrione nostro, Fratribusque Populis in pristinam concordiam reductis, nihil habeo prius antiquiusve, quam ut dulcem illam mutuarum epistolarum consuetudinem, bello grassante diu interclusam, denuo aperiam, TEque, Frater dilectissime, certiorem faciam, me, ex quo ante hoc fere quinquennium Londini Gothorum amicitias TEcum jungere contingeret, TE amare nunquam desiisse, verum potius tam TE diligere, quam si vixissem perpetuo TEcum. Animi enim TVI candorem, ingenii acumen, doctrinæ exquisitissimæ copias, consummatam eloquentiam ut dignitatis ita venustatis plenam, ecquis unquam sine summa admiratione experiri posset? Quamobrem omnes vehementer mecum Ecclesiæ Suio-Gothicæ talem tantumque Archie-

piscopum gratulantur, quo suadente, excitante, præeunte, viamque monstrante, omnia prospere cedent, atque res christiana lætissima incrementa capiet. Nec unice christiana, sed omnino literaria. Tali enim divinæ humanæque disciplinæ junguntur vinculo, ut divelli prorsus nequeant, quin potius egregias sibi mutuo suppetias ferant, et nova, eaque splendida luce se invicem collustrent. Quæ quidem omnia, TE studiorum Upsaliensium moderatore, tanto certius efficientur, quanto majori laude alma hæc Academia a literis egregie auctis abundet. Ut vero illa perpetua sit, atque TE, utriusque, immo potius unius ejusdemque templi Sacerdote, religionis quippe, et scientiarum, quibus mites placidique efficimur, in immensum crescat, ardentissimis votis optamus Dani Norvegique omnes, quibus religio literæque curæ cordique sunt, communi vobiscum stirpe ac sermone, eademque religionis forma conjuncti. Neque vero palmam nobis præripi patiemur, sed nobili certamine idem illud stadium vobiscum decurrentes, gloriæ vestræ comprobatores æmulosque nos exhibebimus.

Ne vero hæ literæ gratulatoriæ sint unice, nec tantum amoris sensum, quo TE, Frater dilectissime, amplector, votaque quæ pro salute atque incolumitate Ecclesiæ atque Reipublicæ li-

terariæ

terariæ Suio-Gothicæ suscipimus, exprimant, verum etiam argumentum aliquod tractent, quo uterque delectamur; duo monumenta veteris ecclesiæ, in museo meo adservata, illustrare apud me constitui; exiguæ illa quidem molis, alterum quippe Gemmam affabre cælatam, alterum autem Bullam plumbeam; utrumque vero, cum antiquitati ecclesiasticæ lucem aliquam affundere videatur, ex mea quidem sententia, haud indignum quod paucis examinetur. TV vero, pro TVA sapientia de utroque videris.

I. Et

I.

Et primum quidem, quod TIBI ante oculos statuo, monumentum, Sardus est lapillus octogonus, isque crassior, in quo cælata cernitur ancora adstitutis duobus piscibus, cum literis quæ figuras ambiunt: IHCOY. Rarum admodum κειμήλιον: nam licet symbola ista in monumentis christianis frequentius occurrant, haud tamen nisi tres, quod sciam, innotuerunt gemmæ annulares meæ similes; quarum prima in Onyche cælato adservabatur olim Romæ in Museo Kircheriano, unde eam publici juris fecit Lupius *), a mea vero differt in eo, quod ancoram habet cruciformem, caretque epigraphe. Alteram edidit Thomas Maria Mamachius, diligentissimus antiquitatum ecclesiasticarum investigator, in qua totum Salvatoris nomen IHCOYC XPEICTOC (sic

*) Dissertatio et animadversiones ad nuper inventum Severi Martyris Epitaphium. Panormi 1734. pag. 64.

(sic ad Itacismi leges scriptum) in casu recto, non vero vocativo, legitur *). Tertia denique e Dactyliotheca eruditissimi præsulis Romani, Petri Franc. Fogginii, ab eodem Mamachio **) vulgata, pisces tantum habet, intermedia Epigraphe: I. X. CΩTHP. Θ. Υ. i. e. Ιησους Χριςος Σωτηρ Θεου Υιος.

Ancoram quod attinet, res est expedita. Hæc enim frequenter expressa cernitur in græcarum urbium atque regum Syro-Macedonum typis ***). In hisce vero numis nunquam est spei symbolum, quod alio modo a veteribus expressum esse constat; verum potius, a tuta navium statione quam in moneta urbium mari adjacentium facile indicat, translata universe videtur ad tranquillum florentemque Reipublicæ statum indicandum. Ita quoque, ubi in Gemmis Christianis occurrit, haud quidem de spe, sed de tranquillitate atque lætitia animorum Christi

*) Antiquitates Christianæ Vol. I. pag. XXXI.

**) Ibid. pag. 56.

***) Assumsit eam Seleucus I. ob somnium, in quo mater ejus sibi ex Apolline concepisse atque ab eo annulum ancoræ imagine signatum dono accepisse visa erat; quem quidem annulum postridie in lecto reperisse fertur, ipsamque deinceps ancoram Seleuci femori impressam. Justin. L. XV. c. 4. Auson. Carm. 287. 10.

Christi gratia et Christianæ religionis beneficiis refectorum, cogitaverim. Unde fortassis, procedente tempore, ipsa quoque *spei* notio, ad hanc proxime accedens, ancoræ symbolo subjecta est. Cernitur vero sæpenumero in monumentis Christianis, utpote in Gemma apud Mamachium *), in cujus dorso sculpta legitur vox mystica ΙΧΘΥΣ, de qua inferius; eademque in annulo æneo apud Boldettium **) adpositam habet naviculam. Præterea quoque titulis sepulcralibus incisa, additis nonnunquam uno vel geminis piscibus, sexcenties occurrit, ubicunque coemiteriorum Christianorum reliquiæ illustratæ habentur ***).

Accedimus vero jam ad symbolum plane novum, reique Christianæ peculiare. Ubi enim pisces, cum in moneta, tum in aliis veterum populorum monumentis expressi cernuntur, maritimam urbem, e piscibus, quorum ferax erat mare, victum atque lucrum quærentem indicant. At in monumentis Christianis pisces allegorice ponuntur pro ipsis Christianis; quin unus tantum

*) Pag. 420.

**) Sopra i cimeterj dei S. S. Martiri p. 502.

***) Vide Aringhii Romam subterraneam, Boldettium sopra i cimiterj dei S. S. Martiri p. 366. 370. 371. 409. 467 etc. Lupi Mon. Severi Martyris p. 53. 115. 136.

tum piscis haud raro ipsius Jesu Christi est imago *). De utroque paullo uberius. Præmonendum tamen universe de allegorica veterum Christianorum arte: eam arctis admodum limitibus circumscriptam, paucisque adeo symbolis absolutam fuisse. Nam raros inter Christianos extitisse artifices, ex omnibus veteris ecclesiæ monumentis colligere licet. Nimirum a Judæis ad Christianos transiit ingens Idololatriæ metus. Quam cum artificum operibus maxime auctam ornatamque animadverterent, Idolorum artifices una cum astrologis, scenicis, aurigis, aliisque qui nefando vitæ genere victum quærerent, a baptismo rejecerunt **). Neque inter Catholicos prioribus post Christum natum seculis artifices vel artis opera commemorantur; id quod e monumentis superstitibus luculenter patet. Nec ea, quæ

*) Extat de toto hoc argumento dissertatio Angeli Costadonii Monachi Camaldulensis: sopra i pesci col Simbolo di Gesu Christo presso gli antichi Christiani, a Ficoronio in opere de gemmis antiquis literatis laudata, quam vero videre nondum contigit.

**) Constit. apostol. Libr. VIII. cap. 32. Ειδολοποιος προσιων, η παυσασθω, η αποβαλλεσθω. cfr. Tertull. de idololatr. c. XI. Qua constantia, inquit, exorcizabit alumnos suos, quibus domum suam cellariam præstat?

quæ temporum injuria interierunt hujuscemodi notitias exhibuisse probabile est, quippe quæ in litibus de cultu imaginum certissime ab earum patronis in medium prolata fuissent; cum contra hi præter cruces, atque paucas picturas in parietibus, cælaturas in calicibus, nonnullisque toreumatibus, nihil prorsus haberent quo sententiam suam adstruere possent. Quin constat, nonnisi hæreticos, eosque ab ecclesia catholica pessime habitos, Gnosticos quippe, imprimis Carpocratis adseclas, Christi atque Apostolorum Petri et Pauli imagines habuisse, floribusque coronasse, unde in eos ipsos Idololatriæ crimen ferebatur: donec tandem, eversis deorum aris, templisque vel dirutis, vel Christo Sanctisque dicatis, inter Christianos quoque artes illæ, quæ picturam exercent atque imitantur, in ornandis Basilicis reliquisque ædibus sacris adhiberentur, magno utique omnis generis superstitioni incremento. At prisca illa ætate, qua Sardus noster cælatus videtur, exiguus admodum symbolorum extititit numerus, quibus Christiani sine ulla idololatriæ suspicione uterentur; quæ fere omnia ætas tulit. Habemus enim in titulis sepulcralibus palmas, s. martyrii, s. vitæ pie transactæ signa, columbas, cum singulas, innocentiæ symbola, tum duas sibi mutuo blandientes, lapidibus annularibus, ut castos Christianorum amores exprimerent annulisque

nup-

nuptialibus inservirent, insculptas. Habemus præterea bonum pastorem, quem in calicibus teste Tertulliano expresserunt *), in titulis sepulcralibus **), lucernis ***) vitrisque ****). Cervos porro, quibus, ut Ambrosius docet, ipsius Christi figura referebatur *****); naviculam, Ecclesiæ symbolum, extra quam nulla salus; pedum plantas ******), equos pariter atque bigas et quadrigas, humanæ vitæ imagines: pisces denique omnium celeberrimos eosque varii generis, quos marmora, ut alia præter lapides annulares monumenta taceam *******), ubivis obvios monstrant. Ad hosce jam redeamus.

Origo

*) Tertull. de pudicitia cap. 7 et 10.

**) Apud Aringhium, Boldettium, Lupium.

***) Bartoli Lucernæ Pars 3. Tab. 28. 29.

****) Bonarotti sopra alcuni Vetri inediti Tab. IV-VI.

*****) Sermon. VI. in Psalmum 118.

******) Lupi lapides a peregrinatoribus positos autumat.

*******) In lucerna extant apud Aringhium Rom. Subterr. p. 620. in numis plumbeis exhibentur pisces apud Ficoronium de plumbeis antiquorum numismatibus Tab. IX. No. 4. Tab. XXI. No. 16 et 17; si modo hæc plumba inter monumenta Christiana referri poterunt. Ex ebore atque chrystallo pisces affabre factos notisque numeralibus inscriptos in Catacumbis romanis invenit Boldettius, quorum delineationem dedit operis laudati p. 516. De Delphinis egit Aringh. L. VI. c. 39.

Origo symboli e Novo Testamento repetenda videtur. Cum enim Servator Matth. IV. 19. Marci I. 17. Apostolos piscatores hominum appellasset, atque Petrus Domino jubente in lacu Tiberiadis ingentem piscium numerum cepisset, horum symbolo ad ipsos Christianos designandos usa est prisca ecclesia: quod quidem tanto majori jure fieri videbatur, quanto magis aqua, quo elemento pisces unice aluntur, omnibus iis qui Christum amplecti vellent, in ipso Baptismo administraretur. Unde quoque *Piscium* & *Pisciculorum* nomen Christianis cessit. Hujus autem rei antiquissimum habemus testem Clementem Alexandrinum, vel autorem Hymni in calce Pædagogi Clementini, quem vero a doctore Alexandrino, utpote fortassis illius ætate in coetibus Christianis cani solitum, adjectum esse, ipse contextus docet: Ita vero verba huc facientia sese habent:

Αλιευ μεροπων,
Των σοζωμενων
Πελαγου κακιας
Ιχθῦς ἁγνους
Κυματος εχθρου
γλυκερῃ ζωῃ δελεαζων.

Ita quoque Tertullianus Christianos eodem nomine appellat, ubi initio libri de baptismo ait: "Sed nos pisciculi secundum Ιχθυν nostrum

"strum Jesum Christum in aqua nascimur, nec "aliter quam in aqua permanendo salvi sumus. "Ita Quintilla monstruosissima (propterea quod "fanatica ista mulier baptismum destruebat) op- "time norat Pisciculos necare, de aqua auferens." Præter hosce vero unum adhuc habemus ex eadem, in qua Tertullianus floruit, Africana Ecclesia testem, duobus circiter seculis illo inferiorem, Optatum Millevitanum, hæc verba facientem: "Hic est Piscis, qui in baptismate per in- "vocationem fontalibus undis inseritur, ut, quæ "aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocitetur." Ut vero Christiani ipsi appellati sunt Pisciculi, ita Dominus eminentiori sensu dictus est Ιχθυς. Quod quidem, cum veteris artis monumenta, tum scriptores ecclesiastici declarant. Idem nempe, quem in superioribus attuli, lapis cælatus, in quo ancora expressa cernitur, habet dorso epigraphen ΙΧΘΥC inscriptam **). Eadem vox legitur in gemma Ficoroniana ***) et in compluribus titulis sepulcralibus. Horum duos edidit Lupius ****):

AAKI-

*) De Schism. Donat. Lib. III. p. 61. edit. Albaspinæi.

**) Mammachi p. 428.

***) Gemmæ antiquæ literatæ Tab. XI. No. 6.

****) De monum. S. Severæ p. 103 et 145.

ΑΛΚΙΝΟΩΝ ΔΥΟ CΗΜΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΕ
CΥΝΕΜΩΝ (συναιμων)
ΤΡΕΙC ΔΩΔΕΚΕΤΕΙC ΠΙCΤΟΥC ΓΕΝΕΤΗ ΠΡΟΕ-
ΠΕΝΨΑ. (sic)
ΙΧΘΥC.
Γ

CECILIVS. MARITVS CECILIAE
PLACIDINAE. COIVGI. OPTIMAE
MEMORIAE. CVM. QVA. VIXI. ANNIS
BENE SENE (sine) VLLA. QVERELLA. ΙΧΘΥC.

Tertius vero a Fabrettio *) et Boldettio **) luce donatus est. Ita nempe habet:

I. POSTVMIVS EVTHERION. FIDELIS. QVI
GRATIA
X. SANCTA CONSECVTVS PRIDIE NATALI
SVO SEROTINA
(b)
Θ. HORA REDDIT DEDITVM VITE SVE
QVI VIXIT
Υ. ANNIS SEX ET DEPOSITVS QVINTO
IDVS IVLIAS DIE
C. IOVIS QVO ET NATVS EST CVIVS ANIMA
N. CVM

*) Inscr. domesticæ cap. VIII. p. 568.

**) De Sacri Cemeterii p. 58.

N. CVM SANCTOS (i) IN PACE FILIO BENEMERENTI
POSTVMI FELICISSIMVS ET LVTKE
NIA ET FESTA AVIA IPSIVS.

In hoc lapide vox mystica bis legitur: in fronte enim inscriptionis posita est, et singuli versus a singulis ejusdem elementis incipiunt, eo tamen modo, ut cum ipsa inscriptione haud cohæreant. Addita in sexta linea est litera N. quam interpretantur nonnulli *Noster*, quasi Ιχθυς noster; malim NIKA: ita enim in lapidibus et numis IC. XC. NIKA. *)

Hæc igitur Inscriptio haud ad id genus Ακροςιχων pertinet, quæ in Sibyllinis carminibus Cicero notavit **), quibusque, quamvis a veræ et sublimis poeseos indole alienis, Ennium vetustissimum poetam nonnunquam indulsisse idem auctor docet. Extat hodieque tale inter Sibyllina

*) V. c. in Marmore Neapolitano apud Pelliciam de Christianæ ecclesiæ primæ, mediæ et novissimæ ætatis politia. Dissert. de coemiterio s. Catacumba Neapolit. p. 161. In numis Joh. Zimiscis et in bilinguibus Rogerii Siciliæ Regis. Adleri Museum Cuficum I. Tab. VII. No. 71. 72. Tab. VIII. No. 80. hanc explicationem probat quoque Buonarotius l. c. pag. 18.

**) De divinatione Lib. II. cap. 54.

lina carmina epigramma, 27 versibus constans, quorum initiales literæ nomen et dignitatem Salvatoris exprimunt, ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΕΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ, addita voce ΣΤΑΥΡΟΣ *).

Præterea vero in scriptoribus ecclesiasticis mystici hujus, quod Servatori tribuebatur nominis, haud ita raro fit mentio. Vidimus jam de Tertulliano. Fusius vero res ab Optato Millevitano exponitur, qui in libro laudato non solum de *pisce* loquitur, *qui Christus intelligitur*, sed totius symboli originem ita declarat: "Cujus "piscis, inquit, nomen secundum appellationem "græcam in uno nomine per singulas literas *tur*-"*bam sanctorum nominum* continet; ιχθυς, quod "est latine: Jesus Christus, Dei Filius, Salvator." Nec reticendus est in hujus vocis interpretibus ipse Constantinus M. Imperator, qui in oratione ad Sanctorum coetum Sibyllinum illud oraculum ita describit: *Τοις προταξεσι πρωτων γραμματων, ἡτις ακροςιχις λεγεται, δηλουσα την ἱςοριαν της του Ιησου κατελευσεως. Εστι δε ἡ ακροςιχις αὑτη: Ιησους Χριςος θεου ὑιος σωτηρ* **). Idem quoque hoc carmen refert Augustinus latine versum, additque suam literarum initialium interpretationem: "Quod "est,

*) Galei Oracula Sibyllina pag. 723.

**) Cap. XVIII. post Eusebii vitam Constantini p. 592.

"est, ait, latine Jesus Christus Dei Filius Salva-"tor. Si primas literas jungas, erit ιχθυς, id est "Piscis, in quo nomine mystice intelligitur Chri-"stus, eo quod in hujus mortalitatis abysso, velut "in aquarum profunditate, vivus, hoc est sine "peccato, esse potuerit *)." Quocum etiam consentit auctor libri de promissione et prædicatione Dei inter Opera Prosperi Aquitanici editi **): "Hoc, (Tobiæ nempe sanationem) egit Piscis "magnus ex passione sua, Christus...... qui tri-"butum pro se et pro Petro, et coecato reddidit "lumen Paulo, satians ex se ipso in litore disci-"pulos, et toti se offerens mundo ιχθυν. Nam-"que latine piscem sacris literis majores nostri "hoc interpretati sunt, ex Sibyllinis versibus col-"ligentes, quod est Jesus Christus Dei Filius "Salvator, Piscis in sua passione decoctus, cujus "ex interioribus remediis quotidie illuminamur "et pascimur." Ipse denique Hieronymus in epistola ad Chromatium hujus verba affert, quibus Bonosus idcirco laudatur, quod se quasi filium ιχθυος gerat ***).

Quid

*) De civitate Dei Lib. XVIII. c. 23.

**) Prosp. Aquit. Opera. ed. Paris 1711. Append. p. 168.

***) Ep. 43. ed. Francof. 1683. Vol. I. p. 141.

Quid plura? piscis sub imagine Christum designari abunde jam constat; et tanto magis hancce imaginem Christianis arrisisse probabile est, quanto major apud Græcos a cana inde antiquitate certi cujusdam piscis, quem Ἱερον, Καλλιχθυν v. Ανθιαν dixere, cuique miram illam virtutem tribuerunt, ut, quo in loco esset, nulla bellua reperiretur, fuit existimatio *). Unde fortassis accidit, ut, quemadmodum crucem in universa rerum natura præfiguratam esse statuerunt, et agnum, præeuntibus sacris literis, pro

*) Aristotelis historia animal. Lib. IX. cap. 37. Quo in loco, inquit, nullam ibi belluam esse, confessum est. Quo jam indicio secure spongiatores urinantur, et *sacrum* hunc piscem ob eam rem nominant. Idem hoc testimonium repetit Plinius H. N. Lib. IX. c. 47. Ceterum multos pisces sacros vocant veteres, plurimis tamen de Pompilo consentientibus, Neptuno Diisque Samothraciis dicato; teste Athenæo Deipnos. L. VII. c. 16-21. De sacro isto pisce verba quoque habet Clemens Alexandr. Strom. I. c. 1. p. 325: ἐν πολλοις γαρ τοις μαργαριτοις τοις μικροις ὁ εἱς, εν δε πολλῃ τῃ των ιχθυων αγρᾳ ὁ Καλλιχθυς; quæ Albaspinæum moverunt, ut statueret, Clementem hoc loco ad Christum τον ιχθυν κατ' ἐξοχην respexisse (in edit. Optat. Millevitani p. 61).

pro imagine servatoris habuerunt, ita quoque nonnunquam de pisce illo sacro, ob virtutem ejusdem ἀλεξικακον cogitarent. Hæc vero utcunque sint, Christum tamen sub symbolo piscis latentem agnoverunt: quo factum, ut de piscibus in Veteri Testamento commemoratis circumspicerent. Inciderunt igitur in illum, cujus fit mentio in Tobiæ Apocrypho, atque de Christo interpretati sunt. Ita quidem Optatus Millevitanus, ubi loco laudato de pisce illo loquitur *qui Christus intelligitur*, de eo cogitat, "qui in "Tigride flumine fuit prehensus, cujus fel et je-"cur tulit Tobias, cujusque visceribus Hasmodeus "Dæmon a Sara puella, (quæ intelligitur eccle-"sia), fugatus est." Ejusdem quoque piscis auctor libri de promissione et prædicatione facit mentionem*): et ipse quoque Augustinus asserit: "Christum esse piscem illum, qui ad Tobiam as-"cendit de flumine, cujus jecore per passionem "assato fugatus est diabolus etc. **)."

Facile inde intelligitur, cur artifices eum quoque operibus suis expresserint. Extat nimirum vitrum satis antiquum, Tobiæ piscem tenentis imaginem exhibens ***). Nec desunt picturæ inter

 Ca-

*) l. c. p. 168.

**) Sermo VI de S. Petro et Paulo.

***) Bonaroti Vetri antichi Tab. II. Fig. 1.

Catacumbarum sepulcra repertæ, ex quibus patet, non doctoribus tantum, sed plebi quoque Christianæ allegoricum et præfigurantem hujus narrationis sensum valde placuisse *). Minime igitur est mirum, quod vel ipsi doctores typorum ubique cupidi, hunc quoque ulterius prosequi atque cum aliis suis placitis conjungere studuerunt.

Nam eodem modo, quo in sacro codice atque in rerum natura Christi imagines agnoverunt, Diabolum quoque infensissimum et Servatoris et rei Christianæ hostem, in utroque isto religionis cognoscendæ fonte typice expressum esse docuerunt. De Serpente non est quod moneam. Idem de Leviathano placuit, cujus typo ad AEgyptiorum imitationem, penes quos utraque Nili bellua, Crocodilus atque Hippopotamus, Typhoni sacra fuit ejusdemque imago **), Diabolum in sacra allegoria de-

*) Arringhi Roma subterranea Tab. III. Lib. 9. Coemet. Callisti. Tom. I. pag. 551. Tom. II. p. 497.

**) Cfr. Jablonskii Pantheon AEgyptiorum P. III. pag. 68. 69, ubi loca auctorum. Notandum tamen: hæcce symbola ab AEgyptiis ante Ptolemæorum tempora in hieroglyphica pictura usurpata fuisse: nam Crocodilos atque Hippopotamos, qui in Alexandrina moneta haud raro expressi cernuntur, Nilum unice designare, docuit Zoëga in numis Imperat. AEgypt. pag. 11.

designari haud dubitarunt. Et, cum ab Irenæi *) et magis adhuc ab Origenis **) inde tempore mors Christi in cruce haud raro λυτρον diceretur, Diabolo pro redimendis hominibus oblatum, licet irrita spe, qua sibi blandiebatur de sanctissima Christi anima, quam mere humanam putaret, in inferis retinenda; facile eo adduci potuerunt, ut hanc Jesu Christi cruentam mortem veluti escam qua deceptus esset Dæmon, piæ meditationi proponerent. Auctor quidem extitit Gregorius Nazianzenus doli illius, quo captus esset Diabolus, cum piscatione comparandi ***); rem vero apertis verbis uberius declaravit Gregorius M. Romanus Episcopus, de Leviathano ita disserens ****): "in hamo escam ostendi, aculeum "occultari, atque in hamo incarnationis Jesu Chri-"sti captum esse Diabolum, quia, dum in illo "appetivit escam corporis, transfixus est aculeo "divinitatis; eumque mortales quos tenebat, jure "perdidisse, quia eum in quo jus non haberet, "morte appetere immortalem præsumsit."

Sed

*) Adv. Gnosticos Lib. V. cap. 1 et 21. ed. Massuet pag. 292 et 319.

**) In Matthæum ed. Ruæi Vol. III. p. 726. cf. Homiliam VI. in Exod. Vol. II. p. 150.

***) Orat. 39. Opp. Tomo I. p. 631.

****) Homilia 25 in Jobum, ad cap. 40.

Sed missis hisce ineptiis, e quibus inter tot alia patet, quam misere tortus olim fuerit sacer codex, ad pisces illos redeamus in Sardo nostro lapide ancoræ adstitutos, de quibus sermonis initium nobis fuit. Annularem esse lapidem, persuasum mihi habeo; imprimis, quod insignis extat Clementis Alexandrini locus, ubi inter figuras annulis signatoriis Christianorum incidendas commendantur: columba, *piscis*, navis quæ celeri cursu à vento fertur, lyra atque *ancora nautica* *). Addit præterea Alexandrinus doctor: *Κᾳν αλιευων τις ῃ, Αποστολου μεμνησεται, και των εξ ὑδατος ανασπωμενων παιδιων*, ad miraculosam Petri piscationem respiciens, quæ itidem in gemmis nonnunquam reperitur **), atque a seculo inde XII vel XIII, annulis Pontificum Romanorum, vulgo Piscatoriis dictis, quibus Brevia obsignantur, inciditur ***. De nostri vero lapidis usu nil certi habeo quod statuam: haud tamen displicet Lupii sententia, omnes hujuscemodi gemmas annulis inclusas ad nuptiales ve-

*) Pædagog. Lib. III cap. XI. pag. 289.

**) Exhibet talem Mamachius I. p. 240.

***) Series brevium annulo piscatorio signatorum, a Clemente IV. anno 1265 coronato incipere vulgo perhibetur; sed ipse hic pontifex testis extat, morem istum esse antiquiorem. Nouveau traité de Diplomatique Vol. IV. p. 312.

veterum Christianorum ritus pertinuisse. Hæc autem utcunque sese habeant, duo tamen symbola a Clemente laudata illi incisa sunt; et, cum Græce sit inscriptus, ex Græcia vel Oriente Romam delatus esse videtur, unde Georgius Zoëga, anno elapso præmatura morte amicis patriæ literisque ereptus, eum mihi misit. De ætate id tantum e cælaturæ pulchritudine literarumque forma colligi posse videtur, eum antiquiori rei Christianæ tempori, sec. p. C. n. III vel IV tribui non injuria posse.

II.

A Sardo lapide ad vile jam transeo metallum, plumbum quippe, diu neglectum a supellectilis antiquariæ studiosis, nec ante Ficoronium tanti æstimatum, ut eruditorum accuratiori examini subjiceretur. Quod quidem, quam imprudenter sit actum, dubio haud amplius caret. Nam quid ad pretium monumentis ex omni antiquitate superstitibus statuendum, metalli facit splendor? cum ipsa adhuc habeantur plumba ex cana vetustate, quorum unum, numum hispano-punicum, punicis literis inscriptum eundemque anecdotum, cum in meo numophylacio adservetur, heic

heic nominasse sufficiat *). Longe quidem serioris ætatis est Plumbum illud, quod TIBI, Præsul Reverendissime, jam in conspectum datur. Septimo enim æræ Christianæ seculo cusum, ad ea pertinet, quæ *Bullœ* dicuntur, quibus quidem ad fidem suis diplomatibus faciendam usi sunt Imperatores, etsi non antiquiores, id quod validis argumentis effici vix poterit **), ii tamen, qui post Constantini Magni ætatem Imperii Romani clavum tenuerunt ***). Ab hisce transiit Bullarum in Diplomatibus usus ad Reges, Principes, Magistratus, Episcopos aliosque viros in dignitatis quodam gradu constitutos; et licet ipsa diplomata temporum injuria magna ex parte intercideriut, superest tamen haud exiguus Bullarum

*) Exhibet is ab una parte caput virile barbatum; ab altera eqvum salientem cum literis .

**) Ita quidem statuunt auctores operis: Nouveau traité de Diplomatique Vol. IV. p. 24. provocantque ad Plumba Trajani, Antonini Pii, Marci et L. Veri, et ea quidem perforata, ita ut lemnisco ipsi Diplomati adjungi potuerint. Neque nego talia forte extitisse: illa vero de quibus agunt, huic usui vix destinata fuisse, ex locis ubi inventa sunt, patere videtur. Nam auctor nobis est Ficoronius, ea reperta esse in columnarum scapis, plinthis, capitibusque.

***) Nouveau traité de Diplomatique Vol. IV. p. 24.

rum numerus, quas Ficoronius sedulo collegit. In his notatu imprimis dignæ sunt illæ, quibus antiquiorum Pontificum Romanorum nomina inscripta leguntur: et quanquam fide carent ea quæ de Silvestri Papæ plumbis narrantur *), neque indubitatæ Gregorii Magni Bullæ supersunt; a Ficoronio tamen repertæ atque editæ sunt aliæ successorum ejus, qui paucis post eum annis ecclesiam Romanam rexerunt, utpote Deusdedit, Honorii, Vitaliani, Sergii atque Theodori, nominibus inscriptæ. Neque negari potest, superesse alias, valde antiquas, in quibus Gregorii atque Leonis nomina legantur. Deest vero numerus, prisca illa ætate nominibus nondum additus; qua de causa, cum tot Romæ fuerint Leones atque Gregorii, priores a posterioribus vix discerni poterunt. Nec destituimur aliorum Episcoporum et Ecclesiarum, cum orientalium tum occidentalium, sigillis plumbeis; licet rarius ea inveniantur. Nullum vero hactenus repertum fuit Episcoporum Karthaginensium: quamobrem singularem illam fortunam, qua meum hocce inter conchyliorum lapidumque fractorum acervos, una cum paucis aliis antiquitatis monumentis per multos annos sepultum, in lucem iterum protrahere licuerit, valde mihi gra-

*) Nouveau traité de Dipl. l. c. p. 24 et 25.

gratulor. Est vero Bulla Victoris, qui Karthaginensi Ecclesiæ præerat ab Anno DCXLVI; et Anno DCXLIX, quo in actis ecclesiasticis commemoratur, in vivis adhuc fuit.

In adversa exhibet Mariam Virginem, filium ulnis gestantem, adstituta hinc inde cruce.

In aversa vero habet inscriptionem ✠ BICTORIS EPISCP KARTG, ut videre est in figura ad calcem hujus epistolæ adjecta.

Iam de singulis videbimus, ab inscriptione initium facturi; et primo quidem de nomine Episcopi nostri.

Scribitur illud BICTOR loco *Victoris:* id vero nullam movet difficultatem, cum ejusmodi elementorum commutatio in monumentis inferioris latinitatis sæpissime occurrat. Commutatio autem, de qua heic agitur, e Græcismo oriunda videtur *), ex cujus more V consonam veluti B pronunciarunt Romani a III Seculo ad V usque. Superest hujus vitiatæ pronunciationis testis, numus quippe Corneliæ Saloninæ, Gallieni Augusti uxoris, epigraphen habens BENERI GENETRICI. Frequenter vero admodum occurrunt in monumentis Christianis BIXIT. BIBAS. BE-

*) Scribitur nostri nomen græce Βικτωρ in actis Concil. Lateranensis apud Harduinum Concil. Vol. III. p. 753.

BENVSTINVS. BENIT. SEBERVS. BIRGO. BOBIS. NOBEMBRIS. SIBE. BICTORIA. BICTORINVS. BICTORINA. et plura alia, ad veram lectionem facillime restituenda, si V consonam literæ B substituas; quæ quidem omnia multis exemplis illustrantur a Lupio, Boldettio, et Pellicia in dissertatione de Re Lapidaria veterum Christianorum *). Frequens porro et lectu facillima est abbreviatio in plumbo nostro EPISCP, linea superne ducta indicata. Ita EPCI legitur pro *Episcopi*, PRI pro *presbyteri* **) SCAE pro Sanctæ ***). Ipsa denique literarum abbreviatio, qua *Karthaginis* nomen exprimitur, KARTG, occurrit in omni fere moneta Imperatorum Romanorum, in officina Karthaginensi seculis V, VI et VII cusa. Ita quidem hac ex parte expedita sunt omnia. Neque obscurum est ipsius Victoris nomen, id quod Bullæ nostræ magnum addit pretium. Floruit nempe ille, ut dixi, medio seculo VII. Quanquam enim successio Episcoporum Karthaginensium ab Agrippino incipit, initio seculi III adhuc superstite, licet primus hujus sedis

*) In Opere: de Christianæ Ecclesiæ primæ, mediæ & novissimæ ætatis politia. Neapoli 1778. Dissert. IV. Cap. 1. §. 2.

**) Ficoroni Tab. XV. No. 8. 6. 11.

***) Ibid. Tab. IX. No. 6.

sedis Episcopus haud fuerit, nec ultra Primosum, Anno DLXII vita functum, continua serie protenditur, habemus tamen notitiam aliorum nonnullorum, qui istam ecclesiam post hujus mortem sec. VI exeunte, et septimo item seculo moderati sunt. Commemorantur nempe: Dominicus, circa annum DXC, Fortunius, qui Anno DCXL ad cathedram Karthaginensem evectus, quinquennio vero post a Georgio Patricio, Africæ tyranno, cui obstiterat, sede pulsus fertur: unde ad Paulum Constantinopolitanum abiit, et Synodo sextæ interfuit. Cum vero a Constantinopolitano Patriarcha Monotheletis favente, in easdem partes allectus, eaque de causa ab Africanis anathemate percussus fuisset, ejus in locum suffectus consecratusque est Victor noster die XVII Kal. August. Indict. IV. Anno DCXLVI ab Episcopis provinciæ Proconsularis; quibus poscentibus, ut ad exemplum aliarum ecclesiæ Africanæ provinciarum haberetur concilium contra Ecthesin, pacis illam inter Catholicos et Monotheletas tuendæ formulam ab Heraclio Imperatore promulgatam, statim post consecrationem celebravit Concilium Karthaginense; ex quo, cum Patres Georgii Patricii imperio obnoxii ausi haud essent, aliquem cum actis Synodi ad Paulum Constantinopolitanum ablegare, Victor Mellosum Gisipensem Episcopum et Redemptum Diaconum

conum cum Crescentio Notario Romam misit ad Theodorum Pontificem. Cujus quidem legationis monumentum, epistola nimirum Victoris, qua Romanum Episcopum de sua ordinatione certiorem reddidit, et orthodoxam de duabus in Christo voluntatibus professus est fidem, utroque sermone exarata legitur in Conciliorum Collectionibus *). Recitata fuit hæc epistola post triennium in Concilio Lateranensi a Theodori successore Martino I. celebrato; ex cujus actis patet, Victorem anno DCXLIX Episcopatum adhuc tenuisse. Haud vero amplius a scriptoribus illius temporis commemoratur. Neque post eum ulla Karthaginensium episcoporum fit mentio, quorum metropolis brevi post Saracenorum incursionibus misere vexata, anno tandem DCXCVIII igne ferroque vastata fuit. Interjectis vero tribus seculis Karthaginenses Præsules iterum occurrunt, de quibus Leo IX. P. M. asseruit, eos primos post Romanum mansuros in Occidente Metropolitanos. Postea Seculo XI, Gregorii VII ætate, fuit quidam Cyriacus Archiepiscopus Karthaginensis, ad quem hujus Pontificis extat epistola; unde colligere licet, quam miser eo tempore fuerit ecclesiæ Africanæ status, cum ad ordinandum

*) Harduini Concilia Vol. III. p. 753.

nandum Episcopum tres illos a Canonibus præscriptos Episcopos desideraret *). Atque hic Cyriacus ultimus est sedis Karthaginensis olim florentissimæ antistes, cujus nomen posteris innotuerit, licet Episcopatus post eum haud plane desierit. Incertum quidem, an Karthaginensis unus fuerit e tribus illis Archiepiscopis et decem Episcopis, quos anno MCXCIII, derelicta communione Romana, Patriarchæ Alexandrino obsequium præstitisse legimus. Sed constat anno MCCLX quatuor Episcopos Metropoli Karthaginensi subjectos, acerba eos quidem servitute pressos, Romanæ sedi paruisse. Karthagine vero Saracenica ab Hispanis, Carolo Quinto Imperatore, penitus tandem eversa, extinctus quoque est ejusdem Episcopatus, cujus tantum titulus honoris hodieque in memoriam pristini temporis a Romano Pontifice alicui e Prælatis domesticis cum Archiepiscopali dignitate confertur **).

Superest denique, ut de Episcopi titulo in plumbea Victoris Bulla pauca tantum adjiciam; ne

*) Extat hæc Epistola 1076 data, inter Gregorianas Lib. III. cap. 19.

**) De quibus omnibus erudite egit Eman. a Schelstrate in opere: Ecclesia africana sub primatu Carthaginensi.

ne ultra quam fas est, TUA tempora, Frater carissime, morer.

Scilicet; pristina illa simplicitate diutius servata, Ecclesia Africana, quamdiu sub imperio Romano floruit, a titulis abstinuit, quibus Antistites cæterarum Orbis Romani Μητροπολεων a reliquis Episcopis, iisque minoribus, distinguebantur.

Ea nimirum ejusdem regendæ fuit ratio, ut ante Constantinum M. in tres, eo vero imperante in sex divideretur provincias, quarum singulæ suos haberent Primates, ita quidem, ut moriente Primate, ille Episcopus, qui senio vel *prima Ordinationis ætate* gauderet, reliquis ejusdem provinciæ Episcopis præficeretur, excepta tamen ab hac lege Proconsulari Africa, cujus ut et totius Africæ Metropolis, Karthago, perpetua quoque Primatis sedes fuit. Is quoque Metropolitanis primi ordinis, quales in veteri ecclesia fuere Romanus, Antiochenus, Alexandrinus, Constantinopolitanus tandem atque Hierosolymitanus, summo utique jure erat accensendus. Reliquarum enim provinciarum Primates v. *primarum sedium Episcopi*, v. *Senes* eadem circiter habebant jura, ac orientalium et occidentalium Ecclesiarum Episcopi Metropolitani. Karthaginensis contra, vel eo tempore, quo Africana Ecclesia tres tantummodo habebat pro-

vin-

vincias, reliquis jam potentior factus erat. Nam Agrippinus ille, a quo, ut dixi, series Episcoporum Karthaginensium incipit, synodo omnium universæ Africæ Episcoporum ineunte seculo III. (accurate autem definiri annus nequit) coacta, baptismum ab hæreticis administratum respuit *): quæ quidem sententia a Cypriano repetita fuit in concilio tertio Karthaginensi Anno CCLVI celebrato, cui Episcopi omnium ecclesiæ Africanæ provinciarum interfuerunt. Eadem quoque, immo majori auctoritate usi sunt Cypriani successores, cum in sex provincias distributa esset Africa, atque ipsi Karthaginensi præfectus esset Primas inferioris ordinis **). Ex quibus omnibus patet, Karthaginensem Primatem haud tantummodo in eo dignitatis ecclesiasticæ gradu constitutum fuisse, quem tenebant Episcopi Αὐτοκέφαλοι, nullius Patriarchæ auctoritati subjecti, cujusmodi quarto adhuc et quinto seculo complures extitere, uti Mediolanensis, Ravennas, Aquilejensis in Italia, Tomitanus in Moesia Inferiori, Salaminius in Cypro Insula, aliique:

*) Cypriani ep. LXXI et LXXIII ed. Baluzianæ.

**) Fuerunt hæ provinciæ: Africa proconsularis, Byzacena, Tripolitana, Numidia, Mauretaniæ duæ Sitifensis et Cæsareensis: tertia vero, Tingitana, Hispaniæ fuit pars.

que: sed revera eum Patriarchalem jurisdictionem exercuisse. Quæ quidem sententia omnibus iis, quæ de interna ecclesiæ Africana πολιτεία nobis constant, egregie firmatur. Nam præter alia jura honorifica, universalem in disciplinam ecclesiasticam, deficiente Episcoporum auctoritate, habebat Episcopiam. In litibus de primatu singularum provinciarum exortis ferebat sententiam: Episcopos atque presbyteros ex omni Africa ordinandi facultate gaudebat, licitumque ipsi erat de Episcopis, qui suam auctoritatem recusassent, loco movendis in ipsa Synodo agere. Ipsi porro erat jus Concilii generalis ecclesiæ Africanæ convocandi; hujus præses erat, hujus decreta exsequebatur, et literis suis synodicis cum reliquis ecclesiis communicabat. Quæcunque tandem per literas ecclesiæ Africanæ nomine agenda essent, ab eo acta; uti ad eum quoque omnes cæterorum Primatum ad Africanam ecclesiam epistolæ directæ erant. Ipse vero non a reliquis Africæ Primatibus, sed a suæ provinciæ Episcopis consecratus, utpote qui non auctoritate tantum, verum etiam sedis suæ vetustate primus esset Africanæ ecclesiæ Antistes, atque primatus jura exercuisset, antequam reliqui Primates constituti fuissent: unde quoque, ut suburbicario Romæ Ostiensi, ita *propinquioribus* Karthaginis Episcopis antiquum mansit jus Pri-

C matis

matis sui consecrandi. Nullum autem unquam extitit argumentum, quo probari potuerit, Karthaginensium Episcoporum electionem a Romanis confirmatam fuisse; quam quidem sententiam Schelstratius aliique Catholici scriptores amplexi sunt, omnem Karthaginensium auctoritatem e fontibus Romanæ Ecclesiæ, Pontificumque indultis deducentes.

De Bullæ nostræ plumbeæ adversa, in qua Maria Virgo infantem ulnis gerens proponitur, brevissime: Ea scilicet ætate, qua Catholici, Monophysitæ ac Monotheletæ ubicunque locorum, licet inter se magnopere dissentirent, commune tamen odium quo Nestorianos persequebantur, cultu της θεοτοκου declarare consveverunt, quid mirum est, ejus imaginem in monumentis quoque publicis reperiri? Frequens enim occurrit: habetur in plumbo Constantini cujusdam Imperatoris, quod vero Constanti Constantino Victori nostro æquali tribuendum videtur **), multisque aliis, in-

*) August. Brevic. Collat. tertio die cap. 16. Totum vero hoc argumentum egregie illustravit Zieglerus, in: Versuch einer pragmatischen Geschichte der kirchlichen Verfassungsformen in den sechs ersten Jahrhunderten. Lips. 1798.

**) Ficoroni Tab. V. No. 4.

incertæ quamvis ætatis, a Ficoronio publica luce donatis.

Verum ad majus, quam par erat, volumen hæcce jam excrevit epistola; in hisce igitur acquiescendum, TIBIque, rerum ecclesiasticarum peritissimo arbitro, siqua forsitan uberiori illustratione indigent, relinquenda. Mihi vero nil amplius restat, nisi ut TE TUOSque, remotis jam felicissime omnibus iis, quæ diutius, ipsum adeo ante bellum exortum, obstabant, impedimentis, quo minus libero musarum commercio uti fruique potuerint Daniæ Sveciæque eruditi, etiam atque etiam rogem, ut nobiscum de literaria Republica, temporum calamitate ubivis fere locorum perturbata atque labefacta, bene mereri, eamque in pacato nostro Septentrione iterum stabilire allaboretis. Quoscunque enim Dania atque Norvegia possident eruditionis thesauros, pro communi utrisque bono habeatis obsecramus; eandem vero nos veniam impetraturos confidimus a Vobis, magna rerum scitu dignissimarum copia, quibus tum aliæ, cum imprimis Septentrionis antiquitates illustrantur, abundantibus. Et sic quidem, concordi animo, sociatisque viribus, ad eam properabimus gloriam atque felicitatem, quæ literarum strenuo studio unice paratur.

TE vero, Frater dilectissime, divinarum humanarumque literarum in Regno Svio-Gothico præsidium atque eximium decus, Deus immortalis ad canam usque senectutem servet incolumem! Vale.

